

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reibel.  
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Quadragesima I.

De

GLORIOSA CHRIS-

TI RESUR-

RECTIONE

Quam

Annuente Θεαυθεώπας

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum,*

*proponit*

LEVINUS POUCHENIUS

Regiomont. Borussus.

*Habebitur ad diem 27. Februarij horis*

*pomeridianis.*

In auditorio minori.



WITEBERGÆ

Johannes Gorman excudebat,

ANNO cl. l. CXX.

VIRIS

*Reverendis, Clarissimis, Doctissimis*

**Dn. BARTHOLDO**  
**LUTTMANNO**, cœnobio, quod Lubecæ est D. Iohanni sacro, pastori vigilantissimo.

**Dn. HARTUNGO CROBORNIO**,  
Diacono Ecclesiæ Lōbnicensis in Regio-Borussorum-monte fidelissimo.

**Dn. M. PETRO HAGIO**, Scholæ Cniphovianæ in Regio-Borussorum monte, Rectori meritissimo præceptor olim suo honorando.

**Domini fautoribus & promotoribus**  
*Theologicum hoc exercitium, ceu evidens gratæ indolis monumentum, extare, consecraneumq; fieri merito voluit.*

**Levinus Pouchenius R. B.**

**A**rticulum de Resurrectione Christi,  
esse fundamentum reliquorum arti-  
culorum fidei, quo stante, stet, caden-  
te, cadat noster Christianismus, clare  
innuit Paulus 1. Cor. 15. v. 14. in-  
quiens; Si Christus non resurrexit inanis est  
prædicatio nostra, inanis etiam fides no-  
stra. Merito ergo hic articulus contra *Φλυαγίαν*  
hereticorum defendendus & muniendus, ut, o-  
mnibus pateat ejus veritas, ac de hoc certi esse pos-  
sint: Quo sine & nos *διὰ τὴν ψυχὴν* hujus articuli,  
precedenti de descensu ad inferos, eum quo indis-  
solubili nexu coheret, (quia ille ingressum in glo-  
riam; hic progressum in illâ continet) subiungi-  
mus, & tribus capitibus inclusam, ventilandam  
exhibemus, 1. erit de resurrectionis veritate 2. de  
resurrectionis qualitate. 3. Fructuum ubertate.  
Thes. 1. Christum mortuum etiam Paganos & Ju-  
dæos credere; eundem vero à mortuis resurrexisse  
se fidem propriam Christianorum esse, recte! Au-  
gustinus affirmat: Nam mors Christi ad omnes  
indiscere pertinet homines; at ejus resurrectio  
est quasi mortu, & per eam pars justitiæ ad Chri-  
stianos efficax applicatio; quam beneficiorum di-  
stinctionem inculcat ipse Paulus Ro. 4. v. 25.  
Hæc itaq, fides ut facta, tecta contra quosvis Di-  
aboli insultus maneat, Resurrectionis Christi ve-  
ritatem, sequentibus confirmamus argumentis.  
II. Arg. 1. sumitur à vaticiniis claritate  
Quorum in scriptura bene multa occurrunt; im-  
primis

De Imo.

primis v. illustra sunt illa: i. Ps. 16. v. 10. Non derelinques animam meam in sepulchro, nec permittes ut sanctus tuus videat corruptionem. De hoc vaticinio multum ab interpretibus disceptatur: nos non sine ratione in litera manemus, idq; ad gloriosam Christi resurrectionem referimus; praesertim cum infallibiles habeamus interpretes i. Petrum Act. 2. v. 27. & 31. qui motus hujus vaticinij auctoritate caelesti, contra rationem humanam concludit, Christi resurrectionem incredibilem videri non debere, quia jam olim David eam Sp. S. instinctu praedixerat. Impossibile itaq; fuisse, Christum a morte retineri v. 24. 2. Paulum Act. 13. v. 35. qui & ipse Iudaeis Antiochenis veritatem resurrectionis Christi demonstraturus, hoc producit vaticinium, in quo de Christi corpore negatur corruptio, ac ex eo concludit, necesse fuisse illud ex morte excitari. Ne a. quis cum Iudaeis excipere posset, Psalmistam loqui de se ipso. ideo uterq; interpres subjungit, de eo verba haec intelligenda esse, cujus corpus nullam putredinis aut corruptionis injuriam affectum fuit, quod de Davide affirmari nequit. Unde concludimus: Quicumq; in sepulchro non mansit, nec corruptionem vidit, is resurrexit: Atqui Christus in sepulchro non mansit, nec corruptionem vidit: Ergo. Christus resurrexit. ii. Os. 13. v. 14. E potestate inferorum redimam eos, a morte redimam eos: ero mors tua, o mors, ero morsus tuus inferne. Hoc in Vaticinio Ecclesiae redemptionem promitti

promitti & morti ac inferno exterminium trium-  
phali cantico à Christo denuntiari, certum est,  
quod & Paulus, hoc vaticinium 1. Cor. 15. v. 55.  
ad multiplices resurrectionis Christi ex mortuis  
fructus explicandos, allegans, confirmat, dū com-  
minationem hanc suo jam tempore ad impletam  
v. 57. in sarcasum convertit, quem fideles, bene-  
ficio resurrectionis Christi resuscitati, morti ac in-  
ferno sint occenturi. Hinc argumentamur: Qui-  
cunq; nos à morte liberavit, mortem mortificavit,  
sepulchrum & infernum destruxit, is in morte, se-  
pulchro, & inferno non mansit, sed resurrexit:  
Atqui Christus juxta vaticinium id prestitit: Er-  
go etiam resurrexit. His conferantur & alia, ut  
Gen. 3. v. 15. Ps. 110. v. 7. Es. 53. v. 10. Dan.  
9. v. 24. Mich. 2. v. 13.

III. Arg. 2. sumitur ab Angelorum, disci-  
pulorum, custodum testificatione. Cum An-  
geli sint spiritus veritatis, nefas est, illorum testi-  
monio fidem denegare: Nam ideo Christus voluit  
resurrectionis suæ veritatem angelorum testimo-  
nio confirmare, quò fides illius tanto esset confir-  
mator. Dum igitur hi testes Christum resurre-  
xisse affirmant, Mar. 16. v. 6. Lu. 24. v. 4. 5. 6.  
quis eam indubium vocabit? Sic non minorem fi-  
dem testificationi discipulorum debemus, qui, licet  
illis resurrectio persuaderi non potuit, nisi proprijs  
oculis eum suscitatum viderent Ioh. 20. v. 25. &  
ex esu piscium cognoscerent Lu. 24. v. 42. tamē  
postea eam & doctrinā & vitā, imò sanguine con-  
firmarunt.

firmarunt. Non parum quoque confirmat resurrectionis Christi veritatem custodum sepulchri testimonium, quia terre motu insolito & angeli conspectu terrefacti urbem aggrediuntur & principibus Sacerdotum annunciant, omnia quae acciderant Matt. 28. v. 11. Sic illi, quibus sepulchri custodia commissa erat, ut resurrectionem impedirent, non sine singulari Dei providentia, sunt infallibiles resurrectionis praecones ac testes. Nec quicquam dolus Pontificum ac seniorum effecit dum milites pecuniae copia corrumpunt, eosque audacter mentiri docent v. 13. sed magis magisque veritas mendacio confirmatur: Si enim custodes dormierunt, unde affirmare audent, corpus Christi à discipulis furtim ablatum esse? Si unus vigilans hoc vidit, quae officii negligentia hoc fuit, ut reliquos non excitaret, quo fures pellicere potuissent? Si omnes viderunt, splendide mentiuntur, quod dormierint? stat itaque immotum *πῶς μὲν* hoc: ille, quem Angeli, discipuli & custodes, imò inimici resurrexisse perhibent, vere resurrexit.

IV. Arg. 3. sumitur, à multiplici Christi apparatione. Voluit enim Christus ipse resurrectionem probare, dum se non tantum ipso resurrectionis die, verum etiam 40. diebus sequentibus, quibus hic in terris conversatus est, vivum aliquoties conspicendum exhibuit attestantibus illud Evangelistis multis in locis; Luca in actis c. 1. v. 12. & Paulo 1 Cor. 15. v. 5. &c. Unde iterum firmiter concluditur: Illud, qui vere mortuus ac sepultus, se tamen post videndum, contractandum praebeuit, reverè à mortuis resuscitatum esse.

Arg.



V. Ar. 4. sumitur ab absurdorū è negatà Chri-  
 sti resurrectione sequentiū, demōstratione.  
 Horum 1. est, autoritatis Apostolicæ legati-  
 onis negatio. Certū est Apostolicæ prædicationis  
 autoritatem divinam esse, quia Christi mandato  
 (a) & Sp. S. operatione (b) prædicant, ideoq; fidei, a Mar. 16.  
 eidem credentis, non minor certitudo esse debet. Si v. 15.  
 v. Christus non resurrexit, fidei nulla certitudo; Matth. 28.  
 quia vana esset prædicatione Apostolorum, quâ con- v. 19.  
 trarium asseritur; vana nostra fides, quâ idem cre- b. 2. Pet. 1.  
 ditur; falsi testimonij Apostoli arguerentur, qui v. 21.  
 id ipsum prædicarunt, asserente Apostolo 1. Cor. 15.  
 v. 14, 15. Quò ergo Apostolicæ legationis divina  
 maneat autoritas Christum resurrexisse credendū  
 erit. 2. meriti Chri. extenuatio. Christus pec-  
 cata totius mundi, eorumq; pœnas moriendo tulit,  
 (c) & resurgendo se omnia superasse, mortē vicis- c. Ioh. 1. v.  
 se, demonstravit (d) Ast si Christus non resurrexit, 29.  
 adhuc in peccati sumus, nec Christus mortis domi- d. 1. Cor. 15.  
 nus factus, sed potius à morte victus, ipse quoq; peri- v. 17.  
 it. Quòd quia absurdum negare non licet Christū  
 à mortuis suscitatum esse. 3. Multorū Martyrū  
 damnatio. Multos piorum hominum, pro Christo  
 & fidei Christianæ confessione, pericula subisse,  
 quoslibet cruciatus, imò mortem sustulisse, ac in  
 fide Christi mortui & resuscitati obdormivisse,  
 experientia testis est. Si a. Christus non resurrexit,  
 eheu! quâ insanā, quo miserabili errore fascinati  
 fuerunt, miselli isti homines, ut mortē pro hac fide,  
 non fide, subierint & in æternam perierint? Hoc  
 en. quia sine absurditate nemo affirmare possit, ad-  
 huc infallibiliter v. manet, Christum verè à mor-  
 tuis resurrexisse.

e. 1. Co. 15.  
v. 21.

(f) 1. Cor. 15  
v. 36.

De 11.

VI. Probatâ itaq; Christi resurrectionis veritate, nostram resurrectionem hinc apodicticè probari posse, cum Paulo, asserimus 1. Cor. 15. v. 12. idq; duplici ratione. 1. quia resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ. 2. quia Christus dicitur factus ἀπὸ νεκρῶν s. primitivæ dormientium. Spes itaq; certa est, de subsequutura etiam nostrorum ἐ somno mortis resuscitatione; cum à Christo solo vita & resurrectio; quemadmodum ab Adamo mors, originem trahat (e). An vero mortuorum resurrectio etiam ex rationis humanæ principijs demonstrari possit; à quibusdam quæritur? R. Solidam ejus ἀπόδειξιν non nisi ex principijs divinitus patefactis extrui posse affirmamus; non tamen hujus dogmatis illustrationem rationibus humanis denegamus, præsertim cum scripturam habeamus præviam. (f)

VII. Quod qualitatem resurrectionis Christi attinet, circa eam quedam consideranda veniunt. 1. Tempus resurrectionis. Resurrexit Christus tertio die, prout promiserat Matt. 16. v. 21. c. 17. v. 23. Mar. 10. v. 34. Luc. 18. v. 33. quodq; tempus per mysticam templi destructionem intelligebat, Joh. 2. v. 19. Ultra tertium diem in sepulchro detineri noluit, ne fides discipulorum periclitaretur, neve jure quis suspicaretur, corpus ejus sensisse corruptionem, & ipsum aliud corpus ἐ sepulchro suscitasse. Nec tamen primo statim die à mortuis resurgere debuit, ut simulata mortis suspicionem amoveret, & insolite resurrectionis gloriam illustraret,

straret. Ita neq<sup>3</sup>, secundo, quò sabbathum sanctifi-  
caret & synagogam Iudaicam honestè sepeliret.  
Sed tertio die resurgere voluit, 1. juxta Pro-  
phetiam Os. 6. v. 2. Vivificabit nos post bi-  
dium: die a. tertio suscitabit nos (sc. in sua  
persona). Adhanc Prophetiam respexit Paulus 1.  
Cor. 15. v. 4. dum Christum tertio die suscitatum  
secundum scripturas affirmat. 2. Juxta figuram,  
eamq<sup>3</sup> triplicem: Isaaci Gen. 22. v. 4. Iosephi  
Gen. 41. v. 1. Iona Ion. 2. v. 1. quam figuram  
Christus ipse sibi applicat. Matt. 12. v. 39.

**IIIX.** 2. Causa efficiens resurrectionis. Tri-  
buit sacra scriptura resurrectionem filij, & toti  
Trinitati & Deo Patri & Filio singulatim; absq<sup>3</sup>  
omni tamen ἀντιλογία. Nam virtus & potentia,  
quà Christus à mortuis suscitatus est, consideratur  
1. Essentialiter, & ita omnibus tribus S.S. Trini-  
tatis personis communis est, eò, quod opera Trini-  
tatis ad extra sint communia & indivisa. Ita  
Deo tribuitur Act. 13. v. 30. 2. Cor. 13. v. 4.  
Col. 2. v. 12. 2. Personaliter, & in specie tribu-  
itur Deo Patri & Filio. Patri, Rom. 4. v. 24.  
Heb. 12. v. 20. idq; 1. ratione principij; quia  
filius omnem suam potestatem habet à Patre per  
aeternam generationem: sic ergò etiam principi-  
um resurrectionis filij ad Patrem redundat. 2. ra-  
tione consilij; quia filius consilio & voluntate  
Patris in mortem est traditus Ioh. 3. v. 16. hanc  
conditione, ut corruptionem non videret, sed 3tio  
die resurgeret. 3. ratione effecti; quia omnes

A 5

hostes

g Ioh. 5. v. 19

h. v. 21.

2. Act. 3. v. 15

k Ioh. 5. v.

26.

hostes pedibus ipsius pater subiecit, ut vaticinatur David Ps. 110. v. 1. Christo tribuitur, & primū secundum divinitatem, quod propria sua deitatis virtute seipsum resuscitaverit Rom. 1. v. 4. Hoc quia Photiniani negant. Ostor. in disp. Ger. cont. Tradel. part. 2. c. 10. p. 176. Smalcus de divin. Christi. c. 13. p. 84. In Catech. c. 11. de off. Chri. p. 312.) id probamus. 1. a potentia & operationis cum patre identitate: eadem n. quacumq; pater facit & ipse similiter operatur (g) 2. ab alios suscitandi potestate: ipse n. quos vult suscitavit (h) cur ergo non etiam seipsum resuscitare potuisset, praesertim cum sit author vitae (i) & vitam in se ipso habeat (k) 3. a propria, ponendi & resumendi vitam autoritate, quam sibi ipse tribuit Christus Ioh. 2. v. 19. Ioh. 10. v. 18. Deinde etiam secundū humanitatem, ita ut ea ad resurrectionem efficaciter concurrerit, & seipsam excitarit. Quae assertio cum fides sit in Calvinianorum oculis. (Pola. lib. 6. Syntag. c. 23. Buca. in L. C. loc. 26. q. 4. &c.) nos eam probamus. 1. Ab idiomatū ex unione personali cum λόγῳ resultante cōmunicatione: Non n. in se & per se humanitas vivifica est, sed quia Deus sibi eam univit, quae unio nec quoad animam, nec quoad carnem per mortē soluta fuit, ut erudite differit etiā Thom. part. 3. q. 53. art. 4. 2. Ab ipsius scripturae approbatione, quae resurrectionem filij Dei, toti tribuit Ὁ Φιλαρμένω Ioh. 2. v. 19. Ioh. 10. v. 18.

Mate

IX. 3. Materia, s. subjectum resurrectionis;  
Hoc non facimus utramq<sub>3</sub> Christi naturam, uti in Exegetis  
Sohnius, cum in naturam divinam non cadat A. C. art. 3.  
mutabilitas, & sic neg<sub>2</sub> resurrectio. Nec proprie  
animam Christi, quippe quæ immortalis, ac pro-  
pterea nec mori, nec resurgere potuit. Sed cor-  
pus Christi; quoniam secundum corpus tantum cecidit,  
secundum h. er. tantum resurgere debuit & po-  
tuit. Non a. surrexit corpus phantasticum;  
aliàs resurrectio esset phantastica: Sed fuit verum  
& numero idem corpus, non quoad qualita-  
tes, sed substantiam: qui n. gloriam corpori con-  
tulit, naturam non abstulit, quam Christus non  
modo verbis asseruit, sed omnibus discipulorum sen-  
sibus ingessit. Comprobat veritatem & identita-  
tem corporis Christi, ejus forma, quæ, quia deter-  
minata & eadem numero, determinatam & eã-  
dem numero materiam appetit. Num v. & car-  
nem, ossa, sanguinem ac membra interio-  
ra, quæ prius habuit, post resurrectionem  
retinuerit, quæritur? Negant Phoriniani  
(Socinus de statu primi homin. c. 8. p. 236.  
Ostorod. in Inst. c. 41. § 1) Verum 1. contra  
Christi assertionem, quæ se carnem & ossa ha-  
bere affirmat, suumq<sub>3</sub> corpus Spiritui s. spectro op-  
ponit. 2. corporis perfectionem. Corpus resur-  
rexit, idq<sub>3</sub> humanum; quia hoc cecidit: jam v. ad  
naturam corporis humani pertinet caro, sanguis,  
os & alia hujus modi. Ergo hæc de Christi corpore  
neganda non sunt: licet n. spirituale sit, spiritus  
rn. non est. 3. veram resurrectionem. Resurre-  
ctio non est novi corporis creatio, sed demortui in-  
vitam revocatio. De-

Demortuum a, Christi corpus absq<sup>3</sup> carne, ossibus, sanguine & alijs membris non fuit: sine his itaq<sup>3</sup> nec resurgere potuit. Concluditur ex his, quod & nos nostra corpora eadem numero, quoad substantiam & membra integritate simus recepturi; tum, quia capiti assimilari debeant membra; tum, quia resurrectio Christi fuit exemplum resurrectionis nostrae.

X. Hoc corpus Christi per resurrectionem novis quibusdam qualitatibus ditatum erat: factum n. est immortale, clarum, agile, subtile s. spirituale. Immortale corpus Christi fuisse post resurrectionem, dum in his terris erat, Photiniani inficiantur, (Socin. de stat. prim. hom. c. 8. p. 237. Ostor. in Inst. c. 41. p. 393.) At nobis immotum veritatis est axioma hoc: Quicumq<sup>3</sup> non amplius moritur (l) sed per suam mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium (m) & de morte triumphavit (n) mortalis is non sine blasphemia dicitur. Clarum ipsius corpus fuisse Paulus asserit Phil. 3. v. 21. ubi nostra corpora quondam conformia futura ipsius corpori glorioso, ait. Hujus claritatis radios repressit, dum se discipulis suis redivivum exhibuit, ob oculorum eorum imbecillitatem, qui hos ferri non poterant. Agilitatem & invisibilitatem demonstrat historia à Luc. c. 24. v. 31. descripta, ubi è conspectu duorum discipulorum in hospitio Emauntico evanuisse dicitur, quod non nisi corpori spirituali & agilitate praedito competit. Subtilitatem ejus probat sepulchri

l. Ro. 6. v. 9.  
m. Hebr. 8.  
v. 44.  
n. Coloss. 2.  
v. 15.

pulchri penetratio, & per januas clausas ad disci-  
pulos ingressus. Hæc tn. corporis gloria, toto gene-  
re ab ea differt, quam ex sessione ad dexteram Dei  
obtinet: illam n. communem habet cum electis;  
Hanc v. non item.

XI. 4. Forma s. modus resurrectionis. Ubi  
duo actus considerandi. 1. Corporis & animæ  
unio. Nam voluit anima corpori vicissim reuni-  
ri, ob potentiam agendi in corpus, & dependenti-  
am à corpore. Resumpsit itaq; corpus animam quæ  
dimiserat, & anima corpus, quod deposuerat, il-  
ludq; vivificat, ut jam non sine sensu, sine motu,  
sine vita, ut antea, mortuum sit, sed sentiat, mo-  
veatur & vivat. An v. facta hæc unione Chri-  
stus quoq; sanguinem effusum in arâ crucis  
intra venas receperit, à nonnullis quæritur?  
Negant pleriq; sodalium Calvinii, eumq; dudum  
putrefactum non sine absurditate ajunt: sequitur  
n. hinc 1. corruptibili sanguine factam esse nostrâ  
redemptionem, contra claram assertionem Petri I.  
Epist. 1. v. 18. 2. factam partis substantialis natu-  
ræ assumptionem & depositionem, contra antiquitatis re-  
gulam; quod semel assumpsit, nunquam deposuit.  
3. Christum vidisse corruptionem, contra scriptu-  
ram Propheticam, (o) & Apostolicam (p) II. E.  
sepulchro egressio, quam non per cessionem la-  
pidis sepulchralis, sed potius sepulchri penetratio-  
nem factam esse cum antiquitate credimus: qui  
n. mortalis clauso virginis utero vitam ingredi  
potuit, utiq; immortalis clauso sepulchro redivivo  
prodire

o Ps. 16. v. 8.

p Act. 2.

v. 27.

9) Matth.  
28. v. 2.  
7) Rom. 1.  
2. 4.

prodire potuit. Licet splendide hanc negent Calviniani (Ioh. Crocius in convers. prut. par. r. considerat. prob. 9. p. 461.) nobis tamen ea verior quia majestatem & gloriam Christi magis auget & cum scriptura convenientior apparet, quae motum terrae, in quo Christus resurrexit, devolutionem lapidis praecessisse affirmat, finem devolutionis, non Christi resurrectionem, sed ejus patrefactionem, annotat (9) & Christum per resurrectionem se filium Dei demonstrasse affirmat. (7)

XII. 5. Finis resurrectionis horum 1. Vaticiniorum impletio. Praedicta n. est Christi resurrectio in scripturis quae impleri oportet, ob immutabile Dei decretum. Resurgere itaque debuit Christus, ut vaticiniorum sua constet veritas. 2. Sufficientiae meriti demonstratio. Nam si Christus mansisset in morte, de insufficientia meriti argumentum fuisset: Ubi n. mors ibi peccatum, quia illa, hujus poena. 3. Mediatoris officij peractio. Christus perpetuus noster Mediator est; in morte ergo manere non debuit: non n. sufficiebat morte beneficia mereri, sed ea etiam per resurrectionem conferri oportebat, Quomodo a. conferre potuit, si non resurrexisset?

XIII. Restat fructuum ubertas s. effecta resurrectionis. Quorum bene multa scriptura numerat: nobis ob chartae angustiam, bina tantum videre licet. Prior Christum respicit, & est, gloriae ipsius manifestatio. Per resurrectionem Christi, demonstratur ipsius Deitas, quod nim. sit unigenitus & naturalis Dei filius ex essentia patris ab aeterno



eterno genitus, ideoq; verus Deus: quia carnem su-  
am virtute propria resuscitavit quod solius Dei  
proprium est. Per resurrectionem demonstratur  
carnis ipsius per unionem communicata di-  
vina majestas, quam ut filius hominis in ipso co-  
ceptionis momento habuit, secundam quam etiam  
ipsa caro resurrectionem operata est ut th. 8. pro-  
batum. Posterior homines respicit, & est cor-  
porum resuscitatio. Hac duplex 1. spiritualis  
in regeneratione anime consistens: Christus n. pro  
omnibus fuit mortuus, ut nos ipsi vivamus (s) resu-  
scitavit nos a peccatis ut in novitate vite ambule-  
mus (t) 2. corporalis, quae est ad vitam s. beatita-  
tem eternam. Est n. Christi resurrectio clavis no-  
strae resurrectionis, ut Tertulianus ait. Movetur  
hic quaestio: An hic fructus ad omnes indiscre-  
te pertineat homines? Respondemus breviter.  
Christus ut iudex omnipotente sua virtute & effi-  
catia, omnes quidem homines a mortuis in extre-  
mo die resuscitabit, ob infallibile decretum Heb.  
9. v. 27. expressum: Verum ut redemptor, vi meriti  
& resurrectionis tm. suscitabit fideles, quorum re-  
surrectio, non v. impiorum, ut fructus ex Christi  
resurrectione dependet, quod sequentibus probamus  
rationibus. 1. sumimus a necessario resurrectionis,  
quae fit vi meriti Christi, adjuncto, quod  
est vita et salus eterna, prout constat e totius 1.  
Cor. 15. capitis contextu. Quis a. impios ad vitam  
& eternam beatitudinem resurrecturos affirma-  
re audeat? 2. a perpetuo capitis cum mem-  
bris tantum connexu. Christi resurrectio, se  
habet ad resurrectionem resurgentium vi &  
meriti resurrectionis CHRISTI, ut capitis

f. 2. Cor. 5.

v. 15.


t Ro. 6. v. 9.

& membra: Qui ergo membra corporis mystici Christi non sunt, illi vi resurrectionis capitis non resurgent; quia caput essentialiter tantum membris connectitur. 3. a resurrectionis Christi effectu. Christus dicitur ἀπαρχὴν resurgentium, eo, quod suâ resurrectione inde dependentem sanctificet. Quâ a. ratione resurrectio impiorum, resurrectione Christi sanctificabitur, cum resurrectioni Christi conformis nō sit, nec illi Christi sint? Manet itaq; verum tantum fideles vi & merito resurrectionis Christi resurgere.

XIV. Haecenus ergo Christum à mortuis resurrexisse audisti, ô homo, quid jam tibi faciendum sit, cogites quaeso. Surge & tu citò spiritualiter, quò dignus sis resurgere corporaliter: Surge citò à peccatis ad poenitentiam, quò dignus sis surgere è sepulchro ad gloriam: cum illâ sine morâ properâ; hanc fideliter & patienter expecta. Christus caput, tu membrum es; surrexit illud, resurges & tu. Seviat itaq; Leo infernalis, torqueant inimici, occidant Tyranni: revixit redemptor tuus, vivificabit etiam te, omniumq; fidelium corpora mortalia. Ergo veni Domine & noli tardere; venio citò, Amen. Etiam veni Domine Iesu.







Bald  
C  
E  
S




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



GIAS SACRÆ  
adragesima I.

SA CHRI  
ESUR-  
IONE

Θεωρεώπτη  
ÆSIDIO

ARIS MEISNERI  
D. & P. P.

ad disputandum  
UCHENIUS  
Borussus.

27. Februarij boris  
dianis.  
minoris.

ERGÆ  
an excudebat,  
lb. CXX.

